



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 1. Quisnam est Minister Baptismi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

CAPUT IV.

De Ministro Baptismi.

Quaest. I. **Q**UISNAM est Minister Baptismi?

Resp. Minister legitimus Baptismi, est solus Sacerdos; ut enim ait sanctus Isidorus relatus in Canone: *Constat Baptisma solis sacerdotibus esse tractandum, ejusque mysterium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero, nisi his procul absentibus ultima languoris necessitas cogat; quod & Laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quispiam sine remedio salutari de saeculo evocetur.*

Can. Constat.
De Consecr.
dist. 4^a

Et Glossa in Canone Diaconos. dist. 93. verbo, *necessitas. Vbi necessitas exigit, & Presbyter est absens, potest Diaconus jure suo baptizare.*

Non debet, inquit Divus Thomas, mulier baptizare, si adsit copia viri, sicut nec Laicus presente Clerico; nec Clericus presente Sacerdote; qui tamen potest baptizare presente Episcopo; eo quod hoc pertinet ad officium Sacerdotis.

D. Th. 3. p.
q. 67. art. 4.
in corp.

Quaest. 2. Peccat-ne Laicus sine necessitate baptizans?

Resp. Si extra necessitatis articulum, inquit Divus Thomas, Laicus baptizet, peccat quidem, tamen Sacramentum Baptismi confert.

D. Th. 3. p.
q. 67. art. 3.
ad 1.

Ideoque sanctus Carolus ait, Et quoniam si à muliere, vel à Laico secus fit (id est sine necessitate) Grave peccatum admittitur, id etiam monebit Parochus.

S. Carol. Act.
P. 4. De Mi-
nistro Bap-
tismi

Tomas III.

D